

V. Dominus vobiscum ;

R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

(au pluriel).

Supplices te rogamus, Domine, ut super hæc simplicia capitis operimenta, quæ famulæ tuæ propter tuum honorem et in imitationem Beatæ Mariæ semper virginis suis capitibus sunt imposituræ Benedic † tio tua larga descendat ; ut sint hæc operimenta Bene † dicta conse † crata, Imma † culata et Sancta. Et quæ illa gestaverint, fidem tibi semper corpore et animo immaculato custodiant ; et quando ad perpetuam sanctorum remunerationem pervenerint, cum prudentibus et ipsæ virginibus præparatæ, te duce, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

OREMUS.

(au singulier).

Supplices te rogamus, Domine, ut super hoc simplex capitis operimentum, quod famula tua propter tuum honorem et in imitationem Beatæ Mariæ semper virginis suo capiti est impositura Benedic † tio tua larga descendat ; ut sit hoc operimentum Bene † dictum, conse † cratum, imma † culatum et sanctum. Et quæ illud gestaverit, fidem tibi semper corpore et animo immaculato custodiat ; et quando ad perpetuam sanctorum remunerationem pervenerit, cum prudentibus et ipsa virginibus præparata, te duce, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereatur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

*Ici l'Officiant jette sur les Coiffes de l'eau bénite en forme de croix, disant :*

In nomine Patris, et Filii † et Spiritus sancti.

R. Amen.